

potiùs ab hac sensibilibiter deficiat ; ) factum inde, ut aqua intra pelvim collecta paulatim occuparet intervallum inter margines tubuli M & pelvis basin P interjectum, tandemque margines ipsos attingens, viam aëri continuè successuro subito occludere & hoc pacto, exclusâ causâ (nimirum aëre continuè ascendente & aquam exprimente, aut veriùs communicatione aëris externi cum interno, à qua hujus vis expansiva pendeat) effectum etiam, cujus productio in perpetua successione consistit, subito cessare h. e. aquæ fluxum fisti necessum fuit. Interea verò aqua in pelvi collecta non cessabat per foramen P effluere, adeoque paulò post margines tubuli M iterum deserens, introitum aëri ultrò recludere, ut internus ab externo noviter pressus vim suæ pressuræ in aquas sibi subjectas noviter exfereret, ac tantum aquæ iterum exprimeret, quantum ad occupandum denuò inferius intervallum requirebatur, actumque sic ageret non ingratis spectatoribus repetitione. Quibus equidem rectè perceptis in ipsa luce posita nunc est fraus illa præstigatoria, quâ spectatoribus suis gesticulando persuadere dolosè laborabat, aquarum illum alternum fluxum & subsistentiam à suo nutu jussuque pendere. Scilicet (quod imitari cuivis facile erit) attendebat homo callidus oculo remotiore licet, at perspicacissimo tamen, ad illud temporis momentum, quo jam tactura esset accrescens sensim in pelvi aqua imos margines tubuli aperti M, & hoc ipso momento, quo fluxum de repente fisti necessum erat, ipse gesticulando renuebat; deinde similiter expectans illud alterum momentum, quo decrescentes aquas eosdem margines jamjam deserturas distinctè videbat, subito rursus, inclinato bacillo, annuebat; ut hoc modo, dum hi ejus nutus & aquæ fluentis ac cessantis alternationes eodem temporis momento contingebant, spectator arcani hujus ignarus, has potiùs ab illis, quàm illos ab his pendere erroneè judicaret.

**CONCLUSIO XII.** Vix autem est ovum ovo similius quàm